

pergit, inter illos diversitas est. Nam columbinus admodum attrahit. Hoc, lib. 10. simpl. med. fac. cap. 14. sub finem, utitur arefacto, quod plane non foetet, cum semine nasturtii misto, ad inveteratos dolores capitis, lumborum, coxendicis, vertiginem &c. & ad podagram, si nondum constiterint tophi.

Integra animalia huic scopo inservientia sunt CANTHARIDES, vulgari nomine muscae hispanicae appellatae, Spanische Fliegen oder Mücken / quae aestate reperiuntur volitantes & haerentes in ligustro, populis, fraxinis, frumentisque & circa aquas stagnantes. Praestantiores sunt, quae circa viridaria pratorum & in frumento visuntur, idemque erodunt, (unde etiam à Nicandro in alexiph. *καυθαρίδες σπηφάροι* dicuntur) in alis transversim lutea cingula, luteis lineis in pennis pertexta, habentes, juxta Galenum l. 11. de simpl. med. facult. cap. 27. quas in fictili super aceti fumum suffocat & ad usum servat. Vires harum notae sunt, ususque internus, qui rarior, & externus, qui frequentior. De interno, quod urinam provocet, vias urinarias, renes & vesicam exulceret, mictionem cruentam excitet, pruritus in pudendo venerisque stimulos animet, & ad coeundum invitet, Dioscorides lib. 6. c. 1. Matthiolus in eundem, & alii, videri possunt.

Soliciti jam solummodo sumus de externo cantharidum usu, quatenus cuticulam urunt & superficialiter exulcerando vesicam excitant, quod ratione salium acrium praestant. Haec occultum ignem vocat Rolsincius ο πένυ, ord. & meth. med. spec. comm. p. 60. operatione sola perceptibilem in exterioribus. Acrimoniam, à salibus acris & erodentibus dependentem agnoscit etiam Galenus l. 4. simpl. med. fac. c. 18. eapropter monet, ne quis easdem degustare audeat, quod erosionem interimant. Ipse etiam Avicenna caliditatem superfluum in iisdem adnotavit, acris, inquiens, acuta, putrefactiva, adustiva est cantharis, lib. 2. tr. 2. de virtut. medicin. singul. c. 205.

Malignitas in cantharidibus, quae cordi infensa est juxta Sennertum pract. lib. 2. part. 4. c. 4. interne assumtis potius adscribenda est, quicquid etiam testentur observationes medicorum rariores, quarum quaedam ipsam etiam fidem superant. Sic Montagnana notat consil. 182. exterius in formam cataplasmatis applicatas □am reddisse